





*an 20  
24*

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
EXHIBENS  
**OBSERVATIONEM**  
DE  
INFLAMMATIONE PEDIS ET ABSCESSV  
FEMORIS  
SVB CVRATIONE FRACTVRAE FIBVLAE ORTIS

---

QVAM  
P R A E S I D E  
MAGNIFICO FRIDERICIANAE PRORECTOR<sup>E</sup> DE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**FRID. CHRISTIANO IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD.  
PAEDAG. REG. ET ORPHANOTR. HALENS. MEDICO PRACTICO

CONSTITUT<sup>V</sup>TO

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS  
DIE XIII. NOVEMBER. A. R. I. C<sup>15</sup> IO CCLXIX.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R  
**IOANNES CAROLVS KOCK**

PALAEO-SEDINENSIS POMERANVS.

\*\*\*\*\*  
HALAE AD SALAM, AERE STEPHANIANO.



AVO OPTIMO  
**IOANNI BIRCKHOLTZ**

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

MEDICO AVLAE REGIAE PRVSSICAЕ ET PHYSICO CIVITATIS  
ARENDSWALDENSIS EIVSQUE CIRCVLI PRACTICO  
LONGE MERITISSIMO FELICISSIMO.

BRUNNEN LIBRARY 2774.1.1

SPECIMEN HOCCE IN AVGVRALE

D. D. D.

IOANNES CAROLVS KOCK.



Quam Tecum, beneuole Lector, communicaturus sum obseruationem, ab ipso aegroto, Parenti optimo, pro cuius incolumente perenni et constanti pia vota hac occasione nuncupo, accepi, tam accurate delineatam, quam a medico in se ipso morbum obseruante exspectari potest. Noui equidem non eiusmodi esse, vt noua luce naturam morborum in illa descrip-  
torum compleat, attamen mecum conuenies, res

A 3

quas-

quasdam notatu dignas inde suppeditari, in quarum  
explicatione virium mearum periculum facere liceat.  
Quapropter minime in me suscipio, totum mor-  
bum eiusque curam e veris principiis pathologicis  
et therapeuticis diiudicare, sed solummodo in ex-  
ponendo ortu inflammationis et abscessus, qui sub  
curatione fracturae fibulae aegrum vexarunt, non  
nullisque momentis ad remediorum exhibitorum di-  
iudicationem facientibus versari mihi propositum est.  
Nec absque est utilitate, quae in genere de morbis  
eorumque cura in scientia medica docentur, cum  
illis quae in singulis aegris obseruantur, conferre,  
cum hac ratione pluribus veritatis iustos limites  
ponere, et recte dein eas applicare discamus,

Caeterum vale, et iuuenili labori  
aequus faue.

DISSER.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA

EXHIBENS

## OBSERVATIONEM

DE

INFLAMMATIONE PEDIS ET ABSCESSV  
FEMORIS SVB CVRATI<sup>E</sup>NCE FRACTVRAE  
FIBVLAE ORTIS.

§. I.

## C A S V S .

 Vir quinquaginta trium annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus corporis laxi, et quoad externa signa optima valetudine, bonisque humoribus gaudens, tempore hiemali pede fallente in glacie, duos pollices supra maleolum externum, fracturam fibulae lapsu patitur. Aduocantur statim chirurgi, ingenio atque arte celebres, qui membra fracti deligationem secundum regulas artis instituunt. Cum haud absque utilitate sit pedem in situm rectum erigere, ut extrema ossis fracti semper in eadem maneat extensione, si imprimis, vti in praesenti casu, fractura obliqua est, ferulam plantae pedis applicare solent, ligamentis ad lectulum stramineum firmandam. Quia autem infima pars lectulcri altis asseribus instructa erat, satis esse credebatur, pedis nisum illis excipere, quapropter multa puluinaria interponebantur, simul autem ne dolores ob erectum situm pedis aegrotum vexarent, fascia

scia ad mentem Heisteri in duo capita voluta, ita tendini Achillis substernebatur, vt intra ambo capita ad latera eiusdem posita, quiescere posset. Quod etiam ita votis responfit, vt neque dolor, neque inflammatio in hoc loco orta sit. In planta pedis autem vehementis ardoris sensus excitatus fuit, et paulatim dolores ad saequitium vsque increuerunt. Attamen nullam inflammationem externe conspicere licuit. Hypocaustum quamquam haud nimis calefactum, nec lectum prope a fornace erat, tamen puluinaria ad imminuendum calorem reponebantur, ac ferula plantae pedis subligabatur, sed nihilominus dolores ad diem duodecimum vsque ita augebantur, vt aeger vix quartam horis partem quiete ac somno frui posset. Summa interea cum patientia hocce tulit nec vlo modo situm pedis mutauit. Cum igitur aegroto se nusquam mouente, fasciae firmitatem suam conseruant, decimo tertio demum die prima vice deligatio mutata fuit. Dolor in planta pedis nocte superiori haud parum remiserat, et nunc caussa eiusdem sub deligatione fortuito deprehendebatur. Chirurgus nempe pedem extendens locum quemdam in pede pollice tangebat aegroto dolorificum et maiori adhibita attentione color niger in eodem loco sub cute et fluctuans quaedam materia premendo conspiciebatur. Facta incisione serum instar loturae carnis effluebat; parsque diametris duorum pollicum nigra, et sine vlo, nisi valde premeretur, sensu, in adspectum veniebat. Loca in quibus serum sanguinolentum collectum fuerat, sed nondum nigra facta, adhibitis visitatis remedii breui ad sanitatem perducabantur, in parte autem sphacelosa sacrificatio necessaria videbatur. Cum autem aegrotus fun-

operationis dolores adhorreret, et putredo non tam profunda putaretur, medicamentis fortiter irritantibus et antiputredinosis suppurationem producere tentatum est; erant haecce: Spiritus Terebinth. Effent. balsamica, Vnguent. digestiu. quod adhuc cum Effent. balsamica acuebatur; pulueres e China, Myrrha, Sale amoniaco et Camphora compositi; sed frustra. Manebat siccitas, et insensibilitas partis affectae, quamuis non ad vicina loca sphacelus sese extendere videretur. Nullum ergo reliquum erat auxilium, nisi separatio mortui a fano ope cultri; qua facta elucebat, sphacelum multo esse profundorem ac putatum fuit. Summa dein cum diligentia, omne quod nigrum separebatur vsque ad pinguedinem albam, etsi nondum viuum in conspectum prodiret, metuebat enim chirurgus, ne capsula tendinea denudaretur, ab altera parte spem sibi faciens, quod ita sufficiat ad suppurationem, per quam reliquae impuritates exterminari possent. Attamen nulla suppuratio obtineri potuit, quamuis vsus supradictorum medicamentorum octo dies adhuc continuebatur. Illis igitur reiectis, solummodo vnguentum digestuum, cui pulueres Croci, Mastichis, Myrrae atque Olibani admixti erant, imponebatur. Tunc bona oritur suppuration, vulnus fit sensibile, mortuum separatur, et ex pinguedine papillae carneae prodeunt. Vulnera perfecte mundificato adipicatur emplastrum consolidans nosocomii castrensis prussicis visitatum, cuius ope, fine vlla cicatrice etsi satis profundum esset, consanatur. Cum aegrotus vti antea dictum, semper eundem situm corporis seruare studeret, factum est, vt iam duodecimum ante diem in partibus a cubando compressis

B

exco-

10 *Exhibens obseruat. de inflammat. pedis et abscessu femoris*

excoriatio nata fuerit; quod ut imposterum praecaue-  
ret, corium quod Iuchten vocant, corpori supponebat  
et finem sibi propositum, consecutus est. Omnis vulne-  
rata pars cutis breui tempore in integrum restituebatur,  
nihilque remanebat nisi vleusculum, magnitudinis pisí,  
eschera obductum et parum dolens, quam ob rem par-  
ui aestimabatur. Die autem primo et vigesimo, conti-  
nua compressione a corio facta irritatum, valdopere  
dolere et increscere incipiebat; ita ut furunculi spe-  
ciei referret. Qua de caufa, emplastrum Diachylon c.  
gummatibus imponebatur: sed quamuis simul cataplas-  
mata applicata fuerint, non solum non emolliebatur, sed  
etiam tantam assequebatur magnitudinem inflammatio, vt  
per omnem fere se expanderet femorem superiorem par-  
tem. Acceslit febris tam fortis cum diarrhoeis ac fudo-  
ribus colliquatiuis, vt aeger haud parum in periculo ver-  
saretur. Praetermissis igitur emplastro ac cataplasmati-  
bus, adhibebatur balsamus polychrestus saturninus, quo  
statim imminuebatur dolorum vehementia, furunculus  
emolliebatur, et magna copia puris, cui sanguis admixtus  
erat, emanabat. Cauim etsi magnitudinis ouuli exis-  
teret, sinusque valde profundi, tum versus loca vicina su-  
periora essent, tum versus perinaeum, nihilominus omne  
facile consanabatur, nec sinus cultro aperire necesse erat,  
solo huius balsami vsu sufficiente. Quia in lapsu magna  
facta erat extenuatio ac compressio in articulatione, nec  
non fracturam ipsam extrauasatum circumdare solet;  
semper fasciae et articulatio humectabantur aqua sclope-  
taria, ex aceto spiritu vini, sacharo, Sale amoniaco et  
oleo vitrioli parata. Obtinebatur tali modo resolutio  
extrauasati, simulque ligamentorum robur.

§. II.

## E P I C R I S I S.

### §. II.

Morbum in casu modo descripto, ex fractura fibulae, accidente inflammatione in planta pedis et apostemate sinuoso furunculoque in femore complicatum fuisse, ex historia ipsa elucet, quae signa pathognomica cuiusvis morbi enarrat; quam ob rem meum erit, singulos hosce morbos idiopathicos perpendere, causas euoluere, nexus quem inter se habuerunt, demonstrare, nec non remediorum illis adhibitorum rationem reddere.

### §. III.

Fractura fibulae a lapsu orta, cum nec composita fuerit, nec quid notatu dignum, protulerit, ne sim nimis longus, pathologicam eius considerationem silentio praeterire necesse erit.

### §. IV.

Inflammationem in planta pedis adfuisse, quamquam externe illam conspicere non licuit, dolor ardens in dicta parte perceptus, nec non sphacelus, qui subsequenti tempore sensibus se manifestauit, satis testantur. Quod autem nec rubor nec tumor in conspectum venerit, a callosa epidermide facile explicari poterit. Vti enim densitas eius impediuit, quo minus ruber sanguinis congesti color perluceret, ita rigiditate sua extensio-

12 *Exhibens obseruat. de inflamat. pedis et abscessu femoris*  
*tensioni, quae si tumor oriri debuisset, necessaria fuisset,* obstaculum posuit.

§. V.

Inter diuersas caussas inflammationem determinantes, pertinet praecipue impeditus sanguinis refluxus. Inde enim oritur magna eius in vasis coaceruatio, validior ob maiorem copiam actio in vasorum, nec non distensio ac irritatio, qua vehemens eorum vibratio efficiatur, necesse est.

§. VI.

Statum aegroti perpendenti, non difficile erit perspicere impeditum sanguinis e pede refluxum, caussam inflammationis in praesenti casu suppeditare. Quicunque enim deligationis in cura fibulae fractae eligatur apparatus, fieri non potest, quin aliqualis compressio partibus mollibus et inprimis venis inferatur, igiturque liberius sanguinis ab extremitatibus reditus, qui per se in his partibus lentior est, supprimatur. Accedit, quod nifus totius corporis plantam pedis, contra lectiflum presserit, et si etiam ob puluinaria interposita molliter hoc factum sit. Quibus caussis eo plus tribuendum est, quo constantior aeger fuit in conservando aequali pedis situ et quo longiori tempore prima deligatione usus est. Nullus autem nego, calorem nimium a puluinariis accensum, quo pes continuo fatus fuit, ad inflammationis ortum contribuisse.

§. VII.

§. VII.

Inflammationem in gangraenam et sphacelum transisse ex obseruatione intelligitur. Cuius exitus causas facile deducet, qui considerat primo locum inflamatum, qui in tunica adiposa inuentus est; qua nulla pars magis gangraenae est obnoxia. Conf. Platner. Inst. Chirurg. §. 56. Secundo caussam inflammationis remotam, nimirum impeditum sanguinis e pede refluxum, non sublatum esse, quare discussio euenire non potuit, cum praeterea nulla remedia hunc in finem adhibita fuerint; potius magis magis magisque increvit stasis inflammatoria; tertio suppurationem rigiditate epidermidos impeditam fuisse; quarto cum difflatio partis aquosae sanguinis stagnantis ob callosam epidermidem succedere non potuerit, schirrhum in praesenti casu locum non inuenisse. Quodsi autem inflammatio neque per discussionem, neque per suppurationem, neque per scirrhum soluitur nullus alias exitus praeter illum, qui gangraena sit, restat.

§. VIII.

A gangraena putredinem partium solidarum gigni nisi natura vel ars illi resistat, ex principiis pathologis constat. Tunc autem suppuratio necessaria fuisset, quae tamen per §. anteced. impossibilis erat. Quid mirum igitur sphacelum e gangraena ortum esse.

§. IX.

Quod si quae de ortu inflammationis et inde nato sphacelo proposuimus, cum reliquo statu aegri comparantur,

B 3

14. Exhibens obseruat. de inflammat. pedis et abscessu femoris

rantur, satis elucet, inter illos morbos et fracturam fibulae nullum essentialiem nexus inueniri, sed ad curationem huius ut cauſam illorum respiciendum esse.

§. X.

Conuerto me iam ad femoris laesionem; cutem a frictione, quam a lecto sub decubitu per plures dies aequali ratione continuato perpetua est, excoriatam fuisse, haud mirum est. Eiusmodi autem excoriationes ansam praebent, ut crusta in externa superficie corporis nascatur, nec raro accidit, sub illa crusta, si leuis inflammatio cutis adhuc remanet, purulentam materiam colligi, quae, nisi elicitor, partes subiacentes arrredit et in tela cellulosa sinus fodit. Sic in praesenti casu paruus abscessus in femore ortus, subsequenti tempore vlcus sinuosum exhibuit.

§. XI.

Nec negandum erit, eandem frictionem in cauſa esse potuisse, quod sanguinis quaedam extrauasatio intra cutis texturam contingeret. Cuius autem extrauasati sanguinis guttulae vascula circumiacentia comprimunt, itaſin pertinacem humorum efficiunt, tuberculum gignunt atro rubentem valde inflammatum, quod non multum puris praeparat, idque eleuato apice atquerupto cum sanguine simul effundit, et hac ratione inflammationis, perfectae suppurationi ob duritatem renitentis discussionem efficit: furunculum nominare solent. (Conf. Platn. l. c. §. 102, 103.) Quae mihi sufficere

ficere videntur ad explicandum furunculum in externa femoris facie obuium, et vlcus sinuosum intus magis serpens, tegentem.

§. XII.

Quodsi tamen perpendis, inflammationem et sphacelum pedis hos femoris morbos antecessisse, digestiōnem ob defectum motus muscularis, cui aeger iam ad-suetus fuit, et ob perpetuos dolores labefactam fuisse, necessariam corpori defuisse somni quietem, plures caussas corruptionis humorum et ad putredinem dispo-sitionis illorum exstisisse, non inficias ibis. Hinc autem vlcus sinuosum ac furunculum incrementum cepisse, necesse est.

§. XIII.

Reliquum tandem est, ut grauia illa symptomata, quae vlcus atque furunculus excitarunt, febrem diarrhoeam et sudores colliquatiuos paucis illustrem. Cum pus in abscessu per plures dies relictum fuerit, attenuatum est et acre factum. Vasa erosa illud dein absorberunt, et miscuerunt sanguini. Putredo ergo san-guinis, ad quam iam ille dispositus fuit, (per §. ante-ced.) nata febrem induxit, per dolores furunculi auētam et haud leue periculum vitae inferentem. Dissolutio-nes autem humorum putridae, imprimis si febris simul adeat, caussam diarrhoeae atque sudoris colliquatiui suppetidare, ex principiis pathologiae facile quilibet deducet. Simili etiam ratione de ortu colici doloris iudicandum est.

§. XIV.

16 *Exhibens obseruat. de inflammat. pedis et abscessu femoris*

§. XIV.

Cum igitur status tantummodo aegroti externus et sphacelus pedis caussas morborum in femore obuiorum indeque productorum acerbiorum symptomatum in se contineat, proprius nexus inter illa et fracturam fibulae locum non inuenit.

§. XV.

Quoniam nunc ergo totum morbum quoad suam originem speciatim perspeximus, ad curationis quedam momenta progrediamur.

§. XVI.

Cum curatio fracturae ossis nil singulare in se contineat, sed secundum visitatas artis regulas instituta sit, omnem fere praetermissurus essem, nisi id primo monendum habeam; minus tutum esse plantam pedis ut in situ erecto retineatur lectifulcri crepidine, quae pedibus obuersa est, excipere et interpositis puluinariibus eam munire. (§. I.) Sed ferulam ex charta multiplici conglutinata confectam, huic fini optime satis facere: Secundo cauendum esse, ne vasa venosa nimis constringantur fasciis, eoque sanguinis refluxus impediatur. Quodsi autem hanc regulam minus obseruare licet, sanguinis missionem, imprimis in corpore sanguineo, commendandam esse.

§. XVII.

## §. XVII.

Quoad sphaceli curationem, ex historia morbi apparet, cum aeger leue et minus profundum vitium subsumeret, omissam esse in initio scarificationem, qua tamen opus fuisse, postea iudicare licuit. Nec mirum igitur medicamenta primo applicata, separationem mortui a viuo efficere non valuisse. Necesse igitur fuit scalpello in hunc finem vti, quo etsi maxima pars mortui separabatur, chirurgus tamen, ne capsula tendinea plane denudetur, et dolores inde excitentur, nec profundae cicatrices oriantur, nec denudati tendines nimis rigidi fiant vel coalescant, omnem pinguedinem excindere renuit, suppurationem praesto fore sperans ad reliquias carnis mortuae auferendas. Quid est autem quod continuato dein vsu medicamentorum valde irritantium nulla suppuratio euenerit, sed adhibitis demum digestiuis et lenioribus irritantibus producta sit? Si consideramus vasa in planta pedis per quam rigida esse et a compressione, quam a crusta sphacelosa per plures dies perpetua sint, eorum rigiditatem adhuc auctam fuisse, idque propter pus rite moueri non potuisse, statim eluet, medicamenta, quae vasa molliunt et laxant, in maturando pure plus valuisse, illis quae siccant et calefaciunt. Perausta autem necessaria suppuratione emplastrum consolidans, cuius usus in nosocomiis exercituum prussicorum tam frequens est, ad perficiendam consolidationem in auxilium vocabatur. Componitur ex pulueris lapidis calaminaris libris x. lythargyri, ceruflae aa libris v, cibani vinciis v. mastiches vnciis x. olei oliuarum libris vi.

C

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Vt in furunculo pus moueretur emplastrum dia-chylon cum gummatibus et cataplasmatu[m] emollientia apposita sunt. Nihilominus tamen durities non solum non remisit, sed etiam volumen magis magisque increuit. Quodsi iam quaeris, cur emollientia in hoc casu tam parum praestiterint, immo potius deteriorem rem fecerint, cum tamen in omni fere furunculorum curatione tantae utilitatis sint, (conf. Platn. l. c. §.104.) mihi quidem videtur fieri nonnunquam posse, vt vbe-riori humorum copia affluente, haec ipsa emollientium applicatione augeatur, eaque ratione durities, volumen et inflammatio, quae si nimis vehemens est, puris generationem haud adiuuat, sed impedit, nouum capiant incrementum; cogitanti autem, vleus sinuosum sub furunculo latitasse, dubium non erit, magnam humorum congestionem versus partem affectam determinatam fuisse. In eiusmodi igitur furunculi vel cuiuscunque abscessus constitutione eo nitendum est, vt humores eo conuergentes auertantur, et illi, qui iam intubculo haerent, et vasa valide distendunt, resoluantur et discutiantur. Quod vt efficiamus medicamenta resoluentia et irritantia nec non repercutientia in auxilium vocare conuenit, additis tamen emollientibus, vt eo citius facta quadam humorum discussione, suppuratio contingat. Haec fuit ratio quod balsamus polychrestus saturninus quippe qui ex eiusmodi remedii compitus, in praefenti casu adhibitus fuerit, cuius egregiam virtutem etiam optatus euentus satis testatus est. Cum forte sint, quibus huius medicamenti compositio minus

minus sit cognita eam hic indicare placet. Conficitur nimirum ille balsamus e cerae flauae vnciis III. drachmis VI. olei raparum vnciis VI. drachmis VI. camphorae vncia vna, sachari saturni in sufficiente quantitate aceti soluendi drachmis VI. Cuius continuato vsu, dilatatio sinuum superuacanea facta est, perfecta consolidatione eueniente.

§. XIX.

Haec sunt quae de nonnullis momentis suppeditatae obseruationis pro virium mearum exiguitate dicenda habui, quibus paucas tantummodo annotatiunculas annexere liceat.

I. Quod saepissime historia medica docet, hoc etiam exemplo confirmatum videmus, leues nonnunquam morbos videri, periculosisima mox inferentes mala. Quis enim putasset, vlcusculum magnitudinis pisí in femore natum, tam profundos sinus fossurum, et febrem et excretiones colliquatiuas productorum fuisse?

II. Ardentis dolores, et si nullus tumor et rubor eos concomitetur, ab inflammatione latente ortum ducere possunt, idque propter maximam attentionem sibi vindicant.

III. Negant nonnulli in vulneribus e pinguedine pastillas carneas propullare, quod tamen ita se habere, obseruatio egregie testatur.

C 2

IV. Emol-

20 *Exhibens obseruat. de inflammat. pedis et abscessu femoris etc.*

IV. Emollientia sola apostematibus et furunculis applicata, nonnunquam incremento mali ansam praebent, cum e contra discutientia et ipsa refrigerantia emollientibus addita in furunculorum curatione multum utilitatis praestent, maturationem eorum ac rupturam adiuuantia, si imprimis nimia humorum copia ad illa congeritur.

V. Balsamus polychrestus saturninus non solum in praesenti casu, sed in sexcentum aliis aegrotis, egregiam suam virtutem satis probauit. In inflammationibus mammarum statim ab initio adhibitus, stasin discutiendo insignem fert open. Quodsi autem ad suppurationem inclinat morbus, tam eam promouet, quam citam dein consolidationem producit.

VI. Ad praecauendam excoriationem cutis aegrotantium, commodissimum statuendum est, corium, quod Iuchten vocant, aegroti corpori substernere. Aliae enim corii species facile plicantur, praesertim si sudore humidae fiunt.

VII. In situ pedis fulciendo fascia Heisteri supra descripta, cum minimum dolorem faciat, praे reliquis remediis in hunc finem adhibendis palmam habere videtur. Sed loci, quo ponenda, curam geramus. Debet enim ita subiici tendini Achillis ut ab ipso lectulo stramineo adhuc excipiatur, et ipse tendo inter eius capita fere liber sit.

F I N I S.

P R A E.

PRAENOBILISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

s.

D. IO. FRIDER. GOTL. GOLDHAGEN

PROF. MED.

Non consuetudinis causa, sed ut amicitiae meae erga te  
habeas testimonium, has tibi scribo litteras. Ut enim lu-  
bentissime officiis defungor omnibus, quae mea erga amicos  
studia declarare queant; ita studiosissime id agam, ut discipulo-  
rum laetitiae et laudabili vitae academicae exitu capienda parti-  
ceps videar. Quod tamen praesertim tibi, qui non solum omni-  
et animi et ingenii virtutum genere excellere, easque singulari

C 3

indu-

industria excolere studueris, sed etiam amicum morum integritate atque elegantia ornatum mihi semper exhibueris, me debere profiteor. Quapropter nouos **TIBI** honores magna animi contentione **TIBI** ita gratulor, ut ad perpetuam felicitatem hunc **TIBI** aditum, **TVO** reique publicae bono et venerandi **TVI** patris gaudio, patefactum esse velim. Itaque diuinis sub auspiciis bene prospereque **TIBI** eueniant omnia, ut viuas **TIBI**, patriae, aegrotis. Me autem, quod etiam **TE** facturum esse confido, amare pergas rogo.

Vale. Dab. in Frideric. d. x. Nouembr.

clo Io cclxix.

PRAE-



V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**IOANNI CAROLO KOCK**

AMICORVM SVAVISSIMO

S. P. D.

CAROLVS GEORGIVS GODOFR. GLAVE  
PALEO-SEDINENSIS IVR. STVD.

Lætitia, qua aucta amici dignitas nos afficit, dulcissima est. Nemo, nisi aut leuis animus dissimulandi simulandique artibus exercitatus, aut niger inuidusque, illam sentire nequit. Iam iam SVAVISSIME AMICORVM MEORVM! illam percipio, tvque bethignissime illam auges, dum me documentum gaudii huius, monumento eruditionis ac doctrinae TVAE addere pateris. Inscium doctrinae TVAE, de TVA eruditione iudicare, minime decet. Libentissimo igitur animo hac de re raseo, virosque illustres ac excellentissimos, doctores TVOS eruditissimos vno ore TVAS efferentes laudes audire malo. Modo id mihi concedas quaequo, vt assensus ac laudes a summis hisce viris TIBI tributas, largius euulgem. Quantus stimulus ad doctrinas, quae se iam suavitate sua interna commendant summo ardore amandi, si honores illarum comitem esse perspicimus. Explorauit gratiosa medicorum facultas mores TVOS, vitam eruditionemque, adprobauit, immo admirata est.

est. Nunc iam summis in re medica honoribus, tamquam digne  
praemio, ab illa iustissime ornaris. Numquam, numquam plane  
eueniant tempora quibus eruditioni ac virtuti debita praemia  
denegentur! Felix itaque in patriam nostram dilectissimam, in  
Pomeraniam illam maxime laudandam redi. Rede Sedinum, in  
urbem illam egregiam. Redi in suaves arctissimosque amplexus  
**VIRI ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMI QVE PATRIS TVI AMANTISSIMI**, fautoris mei benevolentissimi,  
optimeque de me meriti; redi ad oscula matris, sororis  
dilectissimae, eiusque mariti honoratissimi ac tot dilectorum af-  
finium et amicorum. Consilium auxiliumque praebcas patribus,  
amicisque nostris, tvaque doctrina consule rebus omnium quo-  
rum nomina nobis chara sunt. Mors tvam fugiat faciem.  
Morbi libenter ac perentissime tvis cedant armis. Semper a  
Ciubus Sediniensibus praemia meritorum tvorum accipias.  
Laudabile est de patria bene mereri, nostraque, vt bene de illa  
mereri studeamus, meretur. Semper, MI AMICE! vale!  
vtinam ne gaudium meum discessu two turbaretur! Auiuo ad  
terras satis longe a me nunc remotas semper tibi comes adero.  
tv vero, quae est animi tvi egregia indoles, amicitiae nostrae  
semper memor eris. Iterum vale. Dabam Halae ad Salam

die xi. Nouembr. MDCLXIX.



Ua 4711



Slb.

1





au 20

24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
EXHIBENS  
**OBSERVATIONEM**  
DE  
INFLAMMATIONE PEDIS ET ABSCESSV  
FEMORIS  
SVB CVRATIONE FRACTVRAE FIBVLAE ORTIS

QVAM  
P R A E S I D E  
MAGNIFICO FRIDERICIANAE PRORECTORAE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**FRID. CHRISTIANO IVNCKERO**  
MEDICINA DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD.  
PAEDAG. REG. ET ORPHANOTR. HALENS. MEDICO PRACTICO  
CONSTITUTVTO  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS  
DIE XIII. NOVEMBER. A. R. I. C<sup>15</sup> IO CCLXIX.

H. L. Q. G.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R  
**IOANNES CAROLVS KOCK**  
PALAEO-SEDINENSIS POMERANVS.

\*\*\*\*\*  
HALAE AD SALAM, AERE STEPHANIANO.